

**XXX MARTII.
DE S. IOANNE CLIMACO ABBATE SANCTI
MONTIS-SINA,
VITA**

Auctore Daniele monacho coæuo.

PROLOGVS.

**Daniel monachus Raithunus in Vitam Abbatis
Ioannis, cognomento Scholastici.**

[1] Optime sane rem expendit Ioannes, cum cælestem nobis scalam, quæ, [Vita scripta vt præponatur Scalæ Paradisi.] pro modo ætatis Christi, trigesimum annum cum baptizaretur agentis, triginta contineret gradus, exædificauit: cuius iusta Domini ætate comprehensa vere iusti & innocentes reperiemur: ad quam, qui nondum aspirauit, infans adhuc est, & omnium æstimatione imperfectus deprehendetur. Nos vere operæ pretium facturi videbimur, si viri huius sapientissimi vitam, resque gestas libro præfixerimus, vt illius labores sudoresque contemplati, factis quoque fidem non abrogemus.

Annotata

Ita ob eruditionem apud Latinos Scholastici appellati, Prudentius, Ambrosius, Hilarius, Beda, & inter Canonicos vni alicui, doctissimo plerumque, [Scholastici.] Scholastici nomen imponitur, & apud Græcos quamplurimi hoc nomine ob eruditionem exornati referuntur a Radero, in Isagoge ad Climacum cap. 2.

Hic Prologus est in MS. Florentino, apud Raderum legitur post syllabum capitum, ante initum Scalæ Paradisi.

Vita compendio conscripta Abbatis Ioannis, Abbatis sancti Montis-Sina, cognomento Scholastici, viri vere Sancti.

CAPVT I.

Institutio, vita monastica & solitaria, virtutum exercitatio.

[2] Quæ patria nobilisue ciuitas Heroëm hunc progenuerit, & ante susceptam, vt ita loquar, religiosæ vitæ palæstram educavit, [Patria prima ignoratur,] pro certo & explorato non habeo dicere. Quis vero Diuum omni dignum admiratione nunc teneat locus, epulisque & delicijs exceptum immortalibus pascat, minime ignoro. Est enim ille nunc in illa regia, [vltima est cælum,] de qua vocalissima cicada (Paulus) canit, cum in haec verba exclamat, Quorum conuersatio in caelis est: vbi sensu ab omni contagione corporis libero, sola mente & intelligentia inexplebili modo summa cum voluptate inexhausti boni pulchritudine fruitur, inundatur & exsatiatur: digna sudoribus præmia, [laborum corona.] laborumque dolores omnes sedantium munera adeptus, & in sortem ibi hæreditatis, regni, inquam, cælestis admissus, vnus iam ex illis, semperque deinceps futurus cum illis, quorum pes stetit in via recta.

[3] Quomodo autem corpore olim septus, ad mentes illas purus adspirarit, nunc quam potero clarissime exponam. [Anno ætatis 16 venit ad Montem-Sina,] Primum, ergo cum in flore æui perbeatus ille sextum iam decimum ætatis annum agitaret, ingenij vero præstantia solertiaque millesimum attigisse videri posset, seipsum magno Pontifici Deo sincerum & voluntarium sacrificium obtulit, quando corpus quidem in hunc Sinæum, animum vero in cælestem montem intulit, captata reor ex ipso loci aspectu occasione, qua sibi suo commodo viam ad cælestem illum montem superandum communiret. Ita per

fugam seculi complexus est decoram modestiam, [monachus in omni submissione vivit,] tamquam antistitam spiritualium adolescentularum, virtutum, inquam, magistram, omni loquendi obloquendive contumacia & impudentia resecta: optimoque consilio statim in ipso religiosæ disciplinæ ingressu profligavit penitus fallacem sensum sibi placentis atque fidentis animi: atque peritissimo spiritus magistro submitit cervicem, confidens tuta sic via transmissurum se profundum pelagus vitiorum. Porro ita se in religiosa communique Fratrum vita gessit, acsi infans ratione careret, nihilque vellet, quod luberet, perinde acsi naturam ipsam animi penitus exuisset. Sed quod longe maiore dignum est admiratione, [litterarum scientia bene instructus:] cum prius omnibus litterarum disciplinis esset initiatus; cælesti tamen simplicitate postea imbutus, per submissionem animi, rarissimum illum sapientiæ applausum fastumque proscripsit & eliminavit.

[4] Iam vigesimum annum exorsus, cum præmisso ad cælestem Imperatorem suo Præsidi, tamquam legato & patrono, [anno ætatis 20 secedit Tholam,] ipse quoque cum copijs & apparatu bellico, propugnaculis hostium subruendis opportuno, in stadium vitæ quietæ & solitariæ magni illius Magistri sui precibus armatus ingreditur: locoque, cui Tholas nomen, certamini ad quintum ab æde sacra lapidem, delecto, quadraginta ipsos annos inibi cælestis amoris flamma succensus, [40 annis ibi degit:] adeoque semper ardens æstuansque, impigre traduxit. Enimvero cui tanta dicendi vis fandiue copia sit, vt ingentes illos labores illic exantlatos, vilo orationis applausu assequi, ne dicam digne exornare possit. Et vero quo pacto, quod clam omnibus in occulto solitudinis silentio ab illo gestum est, in publicum proferetur? Licebit tamen velut ex libatis quibusdam frugum primitijs omnes sanctissimi viri sanctissimas opes & virtutes animi præcipere & æstimare.

[5] In mensa nihil reijciebat, quod a vitæ religiosæ instituto legibusque abhorrebat: [parcus in cibo,] sed cibum ita modice sobrieque sumpsit, vt gustare potius quam edere videretur. Atque ita vt existimo, per sobrietatem quidem, [voluptatis sensum comprimit:] fracto cornu superbiam; sed breuitate prandij & cœne, dominam voluptatem multis exitiosam elisit, cum per egestatem exclamaret, Tace, obmutesce. Per solitudinem vero fugamque hominum, incendium huius fornacis extinxit, adeoque sopiuit, vt in cinerem demum redigeretur. Auaritiam porro, quam Paulus idolorum cultum appellat, [benignus in miseros;] benignitate in miseros & rerum domi necessariarum inopia generosus iste heros generoso animo declinavit. Desidiam quoque, quotidianam animæ mortem & defectionem ac paralysim, [alienus a desidia:] meditatione mortis & vltimorum tamquam stimulo compunxit & excitauit. Telam etiam seu nexum cupiditatum omniumque vitiositatum, [cupiditatibus,] & quæ sub sensum cadunt affectionum vincula, luctu religioso dissoluit. Tyrannicum præterea furoris impetum iam ante obedientiæ telo mactauit. [ira,] Hirudinem vero popularis auræ gloriæque, aranearum ingenio simillimam, raro in publicum progressu rarioreque sermone exanimauit. [inani gloria.] Quid de palma ab octauo superbiæ vitio per hunc mysten reportata dicam? Quid de summa cordis munditia, quam hic nouus per obedientiam Beseliel inchoauit, sed Hierusalem illius cælestis Imperator sua præsentia consummauit: sine qua numquam sator ille sartorque scelerum diabolus, cum sua eiusdem sortis & formæ legione & tribu, expugnabitur prosterneturque.

[6] At quo loco præentis coronæ collocabo diadema Herois nostri, [Solutus in antro,] ex continuarum lacrymarum gemmis multiplicatis concinnatum? Rem in paucis hodie deprehendam, cuius tamen etiamnum officina secreta extat ad extremum montis pedem sita; antrum, inquam,

perangustum, tantum a communibus cum ipsius, tum aliorum domicilijs remotum, quantum satis est ad aures gloriæ vanæ captatrices arcendas & excludendas. Cum interim ille proximus cælo, gemitibus, suspirijs, [gemitus precesque fundit:] votis astra feriret: vti solent ingemiscere ij, qui vel ensibus lancinantur, vel cauteribus vstulantur, vel quibus oculi expunguntur. Somno tantum indulsit, quantum solum ad tuendum mentis statum, ne per æternas vigiliis corrumpatur, [breui somno indulget post longas preces.] sufficit. Priusquam concederet cubitum, plurimas fundebat preces, libellosque componebat, qua re otium & desidiam penitus profligabat. Porro per omnem vitæ cursum assidue precabatur, immensoque in Deum amore ferebatur, quo die nocteque tamquam in speculo per animi purissimi castimoniam sibi repræsentando nulla satietate expleri velle, imo vt verius dicam, nec posse videbatur.

Annotata

Apud Raderum additur: a Daniele monacho viro venerando & virtute conspicuo e cænobio Raitheno, quod alterius glossema est: ipse quis sit, in Prologo, modeste indicavit.

Beseleel tabernaculum Deo, in quo habitaret & responsa daret, per patientiam ædificavit: ita & Climacus, cum corpus expurgatis sordibus emaculasset, & animam omnibus virtutibus excoluisset, seipsum Spiritus sancti templum splendidissimum exhibuit: vti hic annotavit Scholiastes Græcus, ex quo hæc aliaque profert Raderus, quem consule.

CAPVT II.

Auxilia diuina alijs præstita.
Regimen monasterij.

Sanctus obitus.

[7] Huius exemplo studioque incensus Moses quidam, solitudinis & silentij cultor, [Mosem in discipulum admittit:] vehementer laborabat, vt in disciplinam & contubernium eius veramque sapientiam discipulus admitteretur. Ad quam rem impetrandam, cum ad eum seniores, vt patronos, allegasset, precibus illorum compulsus, Mosen in vitæ societatem & tirocinium recepit. Itaque cum aliquando vsuuenisset, vt magnus ille Pater discipulo imperaret, vberem vt glebam certo quodam loco ad horti oluscula alenda & colenda deferret, Moses vbi ad destinatum sibi locum peruenit, imperium sui magistri cœpit impigre exequi. Imminebat iam meridies, & sol altissimus ingenti ardoris æstu omnia incenderat: Sextilis enim erat vltimus mensium in æstate. Hic cum Moses æstum declinans sub immane saxum secessisset, sopitus aliquantum conquieuit. Enimvero Dominus, [& diuinitus monitus,] qui suos sibi supplices clientes nullo patitur grauiore casu premi, periculum pro more suo anteuertit & auertit. Nam cum Ioannes, magnus ille Pater, in suo latibulo sibi Deoque per contemplationem vacaret, & ipse tantum pauxillum conuiueret, aspicit virum humana specie augustiorem, a quo, exprobrato excussoque somno, compellari visus: Itane, Ioannes, tu securus hic stertis; & Moses vita periclitatur. [eum periculo mortum eximit:] Exiliijt Ioannes repente & pro tirone suo arma precum assumpsit. Sub vesperam deinde reuertentem percunctatur, rectene omnia? An triste aliquid & inexpectatum malum inciderit? Immane saxum, inquit Moses, sub quod meridiatum successeram, dormitantem minimo minus oppressisset, nisi visus abs te repente vocari, e cauea prosilijsem. At Ioannes vere humilis hic reticere, nihilque eorum quæ viderat aperire; tacitis tantum vocibus animi votisque ardentibus amore, Numinis bonitatem grata mente celebrabat.

[8] Erat vero & forma virtutum & latentium morborum medicus, vt ex Isaaco quodam constat, qui grauissima corporis seu carnis tyrannide oppressus, [Isaacum a tyrannide carnis liberat:] peneque in desperationem abiectus, ad magnum hunc virum curriculo contendit, bellumque domesticum lacrymis & singultibus interpolatum, exposuit: cuius fidem admiratus multo magis admirandus ipse: Age, inquit, amice, ad vota simul ambo confugiamus. Ergo precabundos oracula promissorum sunt mox insecuta, quæ vt non per fraudem edita, sed vera rataque ostenderet Deus, abiecti adhuc in faciem afflictique serui sui voluntatem cœpit facere, vt ostenderet non fallere Dauidem. Impurissimus quippe draco efficacissimarum precum flagris retusus, se in fugam coniecit. Æger autem ab animo, vbi se curatum sensit, magnopere obstupuit, lætusque Deo Ioannem exauditum honoranti, & Ioanni honorato laudes gratiarum persoluit.

[9] Sed fuere, qui inuidiæ œstro perciti, garrulum nugatoremque appellitarent: [garrulus ab inuidis habitus,] quos ille factis ipsis & exemplis refutando, ostendebat omnibus, omnia se posse in Christo, omnibus vires sufficiente. Itaque per totius anni spatium tam altum siluit, vt ipsi illius calumniatores supplices ad illum quæstum rogatumque adirent, ne vellet perennem vtilitatis fontem obturare, [integro anno silet:] omniumque salutem suo silentio in discrimen vocare. Cessit illico votis illorum, vt qui neque repugnare quidem sciret, rursusque priorem vitæ morem est ingressus. [constituitur Abbas.] Vnde omnes in omnibus eius virtutem admirati, tamquam alterum quemdam Moysen ad cœnobij præfecturam vi pertraxerunt, faciemque magisterij super candelabrum collocarunt. Neque sane spem ille minime malorum iudicum, a quibus ad illum dignitatis gradum erat prouectus, fefellit. Nam & montem Dei ipse accessit, inaccessamque nebulam ingressus, scalæque cœlestis

gradibus admotus, scriptam Dei digito legem accepit, Deique verbo os aperuit, & spiritum attraxit, deque bono thesauro cordis sui verbum bonum eructavit.

[10] Tandem ad præsentis vitæ metam deducendis suis religiosus Israëlitis peruenit, vna dumtaxat in re Moysi dissimilis, [sancte moritur,] quod Ioannes in cæleste illud Hierusalem omnino ascendit, Moyses, nescio quo modo, etiam terrestre non attigerit. Sanctitatem porro illius plurimi, qui spiritu verborum illius afflati salutem consecuti sunt, testantur. Testatur optimus nouusque David, sapientiam huius sapientis & salutem adeptus. Testatur denique præclarus noster & venerandus Præses Ioannes, [virtutes eius varij deprædicant.] a quo pro ouili suo exoratus, e monte Sina nouus hic Dei spectator per animum intelligentiamque descendit, nobisque & ipse dictatas a Deo tabulas, quæ litteris exterius agendi, interius vero contemplandi præcepta complectuntur, exhibuit. Ita paucis plurima exprimere conatus sum, haud ignarus eloquentiæ candidatis, maxime probari in narratione breuitatem.

Annotata

Arbitratur Raderus Isaacum supra laudatum hic intelligi.

Hic Abbas Ioannes hortatu suo impetrauit Scalam Paradisi, missa epistola, quæ operibus præmittitur, in qua S. Ioannem Climacum appellat virum excellentissimum. Cælitum æmulum, Patrem Patrum, præstantissimum Doctorem &c.

Hic finit codex Florentinus, & dein additur Prologus cum syllabo capitum Scalæ Paradisi, ab eodem, vt videtur, Daniele propositus, & legi potest apud Raderum.